Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31632
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

scilicet uno post unum uiatorem transeunte
uerbum dei conculcatur. uel certe quod reliquum
est a uolucribus rapitur. id est a spiritibus inmun-
dis a memoria aufertur. Qui dupliciter uo-
lucres celi nominantur. siue quod per superbiam
de celo lapsi sunt. siue quod per hoc aereum celum
discurrunt. Et aliud cecidit super petram et
natum aruit. quia non habebat humorem. Petra
est cor durum et indocile. quod uomere ubi
scindi non potest. Hic significat defectionem
humoris ad radicem seminis. quod iuxta
aliam parabolam defectus olei ad lampades
uirginum ornandas. Et aliud cecidit
inter spinas. et simul exorte spine suf-
focauerunt illud. Spine uitia et peccata
significant. de quibus primo homini dicitur.
Cum operatus fueris terram non dabit fructus
suos. sed spinas et tribulos germinabit tibi.
Semen ergo quod inter spinas cadit fructificare
non ualet. quia qui uitia et peccata diligit
spiritualiter non fructificat. Et aliud cecidit
in terram bonam. et ortum fecit fructum cen-
tuplum. Terra bona est cor bonum ad doc-
trinam dei excipiendam semper paratum. Se-
men ergo quod in talem terram cadit. centuplum
fructum facit. id est perfectum. Centenarius enim
numerus perfectionem significat. sicut de
illo qui pro deo derelinquit omnia dicitur. Centu-
plum accipiet et uitam eternam possidebit.
non quod is qui unam uxorem dimisit centum sit
recepturus. sed quod in presenti uita talem perfecti-
onem accipiet. ut quasi duas non repetat. et in
futuro uitam eternam possideat. Talem terram
centies fructificantem significat ysaac.
de quo legitur. Seuit ysaac. et in ipso anno
inuenit centuplum. Hec dicens clamabat.
Cum dominus finita similitudine clamabat.
procul dubio doctoribus in predicatione
clamandum esse insinuat. non tantum in al-
titudine uocis. quantum in instantia predica-
tionis. iuxta illud prophete. Clama ne
cesses. quasi tuba exalta uocem tuam. Et
iterum. Clama in fortitudine. et cetera. Sed quod
clamat audiamus. Qui habet aures au-
diendi audiat. Quotienscumque hec am-
monitiuncula siue in euangelio. siue in
apokalipsi interponitur. aliquid mysticum
nobis querendum esse demonstrat. Omnes
enim in illa turba. aures corporales habebant.
Qui ergo cunctis aures corporales habentibus
ait. qui habet aures audiendi audiat.
procul dubio alias aures scilicet cordis
se querere insinuat. Est enim spiritualis
auditus. cum anima feruentissimo amore
uerbum dei audire desiderat. Auditum
talem se habere manifestabat iob cum
dicebat. Auditu auris audiui te domine.
Et ysayas. Dominus deus aperuit mihi aurem. Intro-
gabant autem eum discipuli eius. que esset hec pa-
rabola. Non putandum quod mox finita similitudine
discipuli coram turbis interrogauerunt. sed sicut marcus ait cum
esset solus in domo seorsum interrogauerunt eum quid hec esset para-
bola. Quibus ille ait. Uobis datum est nosse mysterium regni
dei. illis autem qui foris sunt in parabolis omnia fi-
unt. Spiritualiter domus in qua discipuli christum inter-
rogabant unitatem ecclesie significauit. De
qua dicitur. Qui facis unanimes in domo
habitare. Ingrediamur ergo in domum dei.
sicut faciebat psalmista dicens. Introibo
in domum tuam domine et cetera. Si uolumus cog-
noscere misterium regni dei. in unitate
ecclesie maneamus. ut spiritualem doctrinam
capere ualeamus. Nam iudeis paganis et
hereticis qui a foris sunt. omnis scriptura
in parabolis fit. Cum autem discipuli dominum
singularem interrogauerunt. dat intelli-
gi. magistrum coram hominibus discipulos in-
terrogare non debere sed singulariter ne forte